



VRatislaus filius fuit Bisetislai ducis Bohemorum. Cum autem patre mortuo Spitigneus primogenitus in Bohemiarum ducatu successisset, Vratislaus cum reliquis fratribus Morauiam gubernare iussus fuit. Verum Spitigneus his non contentus fratres bello adoritur, atque ditione peilit. Itaque Vratislaus ad regem Vngariae Andream confugit & eius filiam Adelheidam uxorem duxit. Id cum Spitigneus percepisset, Hungarorum vires uertus, fratrem reuocauit, ac ei Morauiam restituit. Paulo post Spitigneus obiit, & Vratislaus ob plurimas corporis & animi uirtutes a Bohemis dux electus fuit. Is statim Conradum & Ottonem fratres Mo-

rauiam praefecit, & tertium fratrem Iaromirum episcopum Pragensem constituit atque Gebhardum uocauit. Cum autem Gebhardus & Ioannes Morauiae praeful contentiones haberent, parum abfuit quin a Pontifice Romano Gebhardus loco motus fuisset. Verum Mathildis filia Bonifacii ducis Lucani intercessit, quae ex Bohemorum sanguine nata, tum Romae erat. Haec est illa Mathildis fama incluta, quae a Radicophano Senensis agri oppido Ceperanum usque, interiacentem terram ecclesiae donauit, quam posterius (ut Aeneas Syluius inquit) patrimonium Petri appellarunt.